

in capitulo. Satis tamen foret, eam cantere in capitulo, si huic interesset episcopus, aut ejus vicarius, qui forte existit canonicus: talis etenim revera facit professionem fidei coram episcopo, seu ejus officiali, simulque in capitulo, ut praescribit Tridentinum; ac proinde non amplius cogitur foris coram episcopo, aut ejus vicario, eandem repetere. Garcias, part. III, de Benefic., cap. III, n. 51. referens, ita fuisse decisum per sacram congregationem in Seguntina, 18 aprilis 1590. Barbosa, cap. XVII, de Canonicis, n. 4. et part. III, de offic. et potest. episc., allegat 61, n. 17. Bonacina et alii.

168. *Præsertim sede episcopali vacante?* — Porro sede episcopali vacante, non sufficit eam facere coram solo capitulo, sed debet etiam fieri coram ejus vicario, quem idem capitulum infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare tenetur. Nicol. Garcias, de Beneficiis, part. III, cap. III, num. 27 et 28. Bonacina in 1, Ecclesiae Praecept., disp. 3, quæst. 2, punct. 4, num. 2. Barbosa, de allegat. 61. n. 18. ac alii; et concordant dicenda num. 170.

169. *Provisi de beneficiis curatis, coram quo facere teneantur fidei professionem?* Resp. II. Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, tenentur professionem fidei emittere in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali ejus vicario, sive officiali. Ita concilium Tridentinum, ubi supra.

170. *An sufficiat hanc facere coram vicario generali, etiam episcopo non impedito?* — Notant tamen doctores, huic decreto concilii satisfieri emittendo dictam professionem coram vicario, etiam episcopo non impedito. Siquidem verba illa, *vel eo impedito*, solum ponuntur ad quamdam admonitionem: simulque ad denotandum convenientius esse, ipsam facere in manibus ipsius episcopi, si non fuerit impeditus. Barbosa, cap. 4. de offic. paroch., num. 2. Filiucci, tom. III, tract. XLI, cap. VI, n. 8. Nicol. Garcias, d. part. III, cap. III, n. 23. ubi inquit, ita etiam accipienda esse alia similia verba concilii Tridentini, sess. 24. cap. XVIII. § *Transactio de Reform.* ibi: « Examinentur ab episcopo, sive eo impedito, ab ejus vicario generali. »

171. *Et ubi fieri debeat Sede episcopali vacante?* — Cæterum Sede episcopali vacante memorata fidei professio debet fieri, non coram capitulo (id enim non sufficeret) sed coram ejus vicario. Barbosa d. cap. IV,

n. 6. et part. 3. de offic. et potest. episcop., allegat. 61. n. 18. Castro Palao, tract. IV, de Fide, disp. 1, punct. 19, n. 9. Garcias, cit. cap. III, n. 27 et 28. Bonacina, et alii. Nec obstat, quod capitulum Sede vacante succedat in jurisdictione episcopi, ac fungatur vice illius. Siquidem hoc non obstante, tunc per vicarium a capitulo electum, juxta mentem concilii Tridentini, sess. 24. cap. XVI, de Reform., administratur jurisdictio illa; ac proinde magis per eum representatur episcopus, quam per capitulum, arg. c. *Non putamus*, 2, de Consuetud. in 6.

172. *Dicta fidei professio fieri debet intra duos menses a tempore adeptæ possessionis.* — Quæritur IV. Quo tempore facienda sit fidei professio? Resp. I. Provisi tum de beneficiis curatis quibuscumque, tum de canonicatibus, et dignitatibus cathedralibus, tenentur eam, ut supra, emittere a die adeptæ possessionis, saltem intra duos menses. Ita concilium Trident., cit. sess. 24. cap. XII, de Reform. sic expresse statuens de beneficiis curatis: *cujus verba etiam referenda esse ad canonicatus, et dignitates cathedrales, de quibus ibidem in progressu fit mentio, patet ex contextu, ac verbis illis. Idem facere teneantur*, supra n. 157. jam allegatis.

173. *Quid juris, si per promotum ste, quo minus accipiat possessionem?* — Quia vero tempus istud bimestre primum currere incipit a die adeptæ possessionis, ut loquitur Tridentinum: hinc sequitur primo, terminum istum non currere proviso, qui necdum accepit possessionem, quamvis per eum stet, quo minus eam accipiat. Licet enim cæteroquin paria sint, provisum accepisse possessionem, vel per eum stare, quo minus illam accipiat, arg. c. *Commissat*, 35 de Elect., in 6. et c. *Licet episcopus*, 28 de Præbend., in 6. Nihilominus in proposito concilium Tridentinum obligavit dumtaxat illos ad emittendam fidei professionem, qui realiter adepti sunt possessionem beneficii. Garcias cit. cap. III, n. 32. Barbosa, d. allegat. 61, n. 23, citans insuper Ant. Ricciulum, lib. I. de Jure personarum extra gremium Ecclesiae existentium, cap. XIII, n. 10.

174. *Requiritur ad id possessis pacifica.* — Addunt ibidem Barbosa, et Ricciulus, n. 61. quod ad effectum, ut incipiat currere tempus illud bimestre, non sufficit fuisse adeptam possessionem, sed requiritur possessio pacifica: id est, talis, ut in ejus exercitio quis non fuerit statim turbatus ab jure

vel de facto, sed in eo steterit per unum vel duos menses sine turbatione, atque molestia; quamvis dicta possessio pacifica deinde non duret continue.

175. *Promotus non faciens professionem fidei intra bimestre, tenetur eam postea, quamprimum poterit, emittere.* — Resp. II. Si quis obligatus intra duos illos menses non emisit professionem fidei, non per hoc solutus est ab obligatione, illam in posterum emittendi, sed tenetur eam postea, quamprimum poterit, facere. Ita Navarrus, consil. lib. II, consil. 44. num. 1. de Jurejurand. Castro Palao, cit. punct. 19 n. 2. Barbosa, cap. 17. de Canonic. et dignitat., n. 16. de Offic. et potest. episc., allegat. 61. num. 22. Azorius, tom. II, lib. VII, c. II, q. 7, et alii plures. Ratio est: quia terminus duorum mensium a concilio constitutus pro facienda professione fidei, non ponitur ad finiendam, seu remittendam obligationem, sed ad differendam executionem, atque pœnam, arg. c. *Cum dilecti*, § *Præterea*, 6. de Dolo et contum., juncta l. *Celsus*, § *Idem ait*, 28. ff. de Arbitris. Ubi jussus, ut ad certum tempus se judici præsentet, si tunc non potuit, tenetur eo etiam elapso se judici præsentare: ac jussus sub statuta pœna pecuniam solvere intra certum tempus, si tunc solvere neglexerit, fit reus pœnæ, ac nihilominus tenetur postea solvere. Unde hujusmodi *Mandata* dicuntur *qualificata*, quæ recipiunt distributionem (ut loquitur Abbas ad cit. cap. *Cum dilecti*, num. 7.) et duo involvunt inter se divisibilia: unum, ut faciat: alterum, ut intra tale tempus faciat.

176. *Solvitur instantia ex cap. Sicut de sponsalib., desumpta.* — Nec obstat cap. 22. *Sicut de Sponsalib.* ubi jurans, se aliquam ducturam in uxorem infra certum tempus, si tunc non potuit, eo tempore elapso illam ducere non tenetur: prout etiam obligatus die festo audire Missam, aut certo die jejunare, si tunc non possit, (imo et culpabiliter negligat) alio die Missam audire, vel jejunare non tenetur. Resp. enim negando paritatem. Nam imprimis in casu cit. c. *Sicut de sponsal.* agitur de obligatione contrahenda, simulque fuit certum tempus adjectum causa limitandi, id est, finiendi dietam obligationem, dum ibidem vir non absolute promisit aliam ducere, sed dumtaxat intra certum tempus. Secus est in casu nostro, ubi obligatio faciendi professionem fidei jam actualiter contracta est ratione receptæ possessionis beneficii;

simulque mandatum de eadem facienda fuit absolute impositum, sicque censetur qualificatum, injungens Beneficiariis tam professionem, quam certum profitendi tempus.

177. *Differentia inter præceptum emittendi, dictam professionem, et præceptum audiendi Missam, vel jejunandi statutis ab Ecclesia diebus.* — Deinde, quod ad alterum attinet, præceptum audiendi Missam, vel jejunandi statutis ab Ecclesia temporibus, est affixum certo diei, idque jure ecclesiastico: unde non mirum, quod eo elapso cesset obligare. Quinimo, si cui pro pœnitentia sacramentali fuerit injunctum jejunium pro aliquo determinato die, si tunc non possit, vel culpabiliter negligat, tenetur is alio die jejunare, ne Sacramentum maneat imperfectum, cujus pars integralis est satisfactio: unde exemplum de jejunio potest retorqueri, quando id certo diei non reperitur affixum.

178. *Mandata qualificata quæ?* — Sufficit si promoti emittant professionem fidei ex alio titulo. — Resp. III. Si quis nihilominus post receptum beneficium professionem fidei emisit ex alio titulo, v. g. doctoratus, vel ratione synodi coram episcopo sive vicario generali (ut supra) quamvis immemor fuerit obligationis suæ eandem faciendi ratione beneficii antea recepti; id sufficit, nec tenebitur talis postmodum eandem professionem reiterare. Ita Navarus, Consil. 12. n. 1. de Jurejurand., Sanchez lib. II in Decalog., cap. v. n. 6. Castro Palao, tract. IV de Fide disp. 1. punct. 16. n. 8. Emmanuel Rodericus tom. II. quæst. Regul. q. 72. art. 3 contra Barbosam, cit. allegat. 61. n. 9. Ratio conclusionis est: quia talis revera post adeptam possessionem beneficii emisit professionem fidei, sicque satisfecit menti concilii Tridentini. Et quamvis sub diversis titulis obligatus fuerit, hi tamen obligarunt ad eandem prorsus rem, videlicet ad faciendam professionem fidei. Neque novum est, unico actu posse satisfieri obligationi ex diversis titulis contractæ; ut patet in clerico beneficiario, recitante Horas canonicas, ad quas obligatur et ratione ordinis sacri, et ratione beneficii ecclesiastici, ac nihilominus unica recitatione satisfecit.

179. *Provisi de beneficiis tenentur ultro se offerre ad professionem fidei faciendam.* — His addendum primo, quod provisi de beneficiis, ut supra, teneantur ultro sese offerre ad faciendam professionem fidei, adeo ut non requiratur ad hoc prævia monitio. Barbosa,

lib. I. *Juris ecclesiast. univ.* cap. XXI. n. 62. insuper Nicol, Garciam, Ricciulum, et Trulench. Ratio est; quia tempus ipsum a jure statutum sufficienter monet, ac pro facienda fidei professione interpellat. arg. cap. ult. *de Locato.* cum concordantiis ibidem a Glossa allegatis.

180. *Et probare se eam emisisse, quando desuper inquiritur.* — Addendum alterius, quod quando ordinarius super facta professione fidei ex officio inquirat, teneatur provisus, ut supra, probare se eam fecisse. Ratio est: quia facta non presumuntur, nisi probentur, arg. l. 1. c. *de Probation.* ac fuse ostendit cardinalis Tuschus, tom. III. litt. F. Concl. 10 et Barbosa, Axiomat. 93. num. 27. Facta quippe ex sui natura sunt incerta, l. *in omni.* ff. *de Juris et facti ignorant.*, et cap. 1. *de Constit.* in 6. Nihilominus quod credatur jam esse emissam, si provisus asserat, sese professionem fidei jam fecisse, simulque collatio beneficii fuerit decennialis, censent multi doctores, quos citat et sequitur Barbosa, d. cap. XXI. n. 69. et Castro Palao d. punct. 19. num. 12. Nam facta antiqua sunt difficilioris probationis: simulque nullo jure tenetur quis professionem fidei facere coram nullis.

181. *Dicta professio fidei, an possit fieri per procuratorem? Ponitur sententia negativa.* — Queritur V. An sæpe dicta professio fidei possit fieri per procuratorem? Negant non pauci, ut Stephanus Gratianus, *Disceptat forens.* cap. CLXVI. n. 22. Diana, part. 5. *Resolut. mor. tract. XIV. resol. 23.* Ugolinus *de offic. et potest. episc.*, cap. v. § 16, num. 1. et alii. Quinimo Nicolaus Garcias, cit. part. III. n. 75. et seqq. attestatur, ita tenuisse Rotam: atque additio ad consilia Navarri, lib. II. Consil. 12. *de Jurejurand.* in fine, refert, sacram congregationem censuisse, id fieri non posse. Ratio hujus sententiæ negativæ esse potest: quia professio fidei videtur esse actus personalis, eo quod sit protestativus interioris assensus; simulque ea talem professionem ecclesia intendat provisos de beneficiis specialiter stabilire in vera fide catholica. His tamen non obstantibus.

182. *Probabilior censetur sententia affirmativa.* — Resp. Probabilior est ejusmodi professionem fidei posse fieri non solum per se sed etiam per procuratorem, cum speciali tamen mandato ad hoc constitutum. Ita Barbosa, lib. I. *Juris ecclesiast. univ.*, cap. 21. n. 57. Sanchez, d. cap. v. num. 7. Castro Palao, d.

punct. 19. num. 10. Tamburinus, tom. I. *de Jure abbat.*, disp. 8. q. 3. n. 11. Azorius, *Leodesma*, aliique plures. Ratio est: quia regulariter ea, quæ quis potest facere per seipsum, potest facere per alium, nisi lege, vel canone impediatur, aut fuerit electa industria personæ arg. cap. ult. § *Is autem de offic. delegat.* juncta L. 1, ff. *de Procurat. ac Reg.* 68. *Juris*, in 6. ibi: «Potest per alium, quod potest facere per seipsum.» Et reg. 72. *Juris* in 6. ibi: «Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.» Atqui neque concilium Tridentinum, neque bulla Pii IV utuntur verbis significantibus personalitatem actus, seu prohibentibus interventum procuratoris; ergo. Accedit, quod in can. *Optatum.*, dist. 100. satis aperte approbetur usus procuratoris in emittenda professione fidei, dum inter alias causas negati Vuliberto Agrippiensi episcopo pallii etiam hæc recensetur, quod nec aliquem, qui hanc (fidem suam) jurejurando firmaret, miserit.

183. *Potest quis jurare per alium.* — Nec urgent rationes in oppositum. Non prima: nam posse quem jurare per alium, ad hoc speciale mandatum habentem. haud obstante, quod juramentum sit actus protestativus interioris assensus. præter jam allegatum can. *Optatum*, dist. 100. ulterius patet ex can. *Tibi Domino*, dist. 63. juncta Glossa ibid. 7. *Et jurare*, et can. *Metuentes*, 17. q. 5, et c. *In pertractandis; de Jurament. caelum*, cum similibus. Nec secunda: nam ex eo, quod per professionem ecclesia intendat provisos specialiter stabilire in fide, colligitur quidem convenientia faciendi professionem personaliter, ac in propria persona, non autem necessitas hujus: siquidem principalis seu provisus de beneficio; satis intelligitur obstrictus, atque stabilitus in fide catholica, quam alter de speciali suo mandato, atque in animam suam profitetur, ac jurat; prout hoc ipsum accidit, in juramentis illis, quæ fiunt per procuratorem cum speciali mandato, atque in animam principalis jurantem.

184. *Respondetur ad decisionem Rotæ, declarationem cardinalium in contrarium allegatam.* — Neque etiam urget decisio Rotæ, aut declaratio cardinalium. Nam imprimis de hac authentice non constat, neque additio ad cit. concilium. 11. Navarri, ullam facit mentionem de tempore, quo ipsa facta fuit. Deinde dici potest, oppositam sententiam atque declarationem cardinalium, si quæ ex-

tat, procedere, si procurator non habeat speciale mandatum ad faciendum nomine alterius professionem fidei: nos autem loquimur in casu dati desuper specialis mandati. Et tunc posse fieri professionem fidei per procuratorem, tenet Rota in *Varmien. canonicatus*. 13. julii. 1608. coram illustriss. card. Sacrato: ubi etiam dicitur, speciale mandatum ad hoc censi datum, non solum, quando datur expressum ad faciendam professionem fidei, sed etiam ex mandato ad capiendam possessionem dignitatis, vel canonicatus.

185. *Respondetur ad decisionem Rotæ et declarationem cardinalium in contrarium allegatam.* — Et sciendum, quod hæc decisio Rotæ per Barbosam, d. cap. XXI. nu. 56. citata, sit posterior altera per Garciam, cit. part. III, cap. III, n. 75. et seqq. allegata, unde hæc per aliam limitatur, atque declaratur. Quod si tamen revera extet declaratio sac. Congregationis concilii Tridentini interpretum, resolventium, quod professio fidei nequeat fieri per procuratorem, etiam speciale mandatum ad hoc habentem, eidem penitus erit acquiescendum, si in forma authentica exhibeatur. Hanc tamen extare nondum agnoverunt auditores Rotæ in sua posteriori decisione: hi enim sac. Congregationis declarationibus (quarum exactam præ cæteris cognitionem habent), omnimodis deferre, atque obsequi consueverunt.

186. *Num allata doctrina sit limitanda in Episcopis?* — Allatam doctrinam Sanchez, loc. cit., n. 7. limitandam censet in episcopis, negatque, ipsos per procuratores posse emittere professionem fidei; et addit idem sensisse duos viros doctissimos, a se consultos. Movetur ex verbis bullæ apostolicæ, committentis certo episcopo, ut prædictam professionem fidei nomine ipsius pontificis acceptet, addita hac causa: «Ne propter hoc ad Sedem apostolicam, accedendo personaliter, laborare cogatur: volentes parcere laboribus, et expensis, fraternitati tuæ committimus,» etc. Nam hæc ratio non procederet, si episcopus professionem fidei præstare posset per procuratorem.

187. *Num allata doctrina sit limitanda in Episcopis?* — Cæterum, licet ex allatis verbis recte colligatur, quod papa supponat, Episcopum personaliter emissurum præscriptam in Pontificali professionem fidei, saltem ex decentia: ac proin huic obligationi, ex decentia, seu convenientia suborta, parcere

velit committendo alteri vices suas. Nihilominus obligatio stricta, et inducens nullitatem actus, si fiat per procuratorem, ex verbis illis non satis colligitur, prout etiam Castro Palao, cit. punct. 19. num. 11. Atque inter varios casus vitæ humanæ, locorumque distantiam, facile contingere potest, quod episcopus etiam illam personaliter accedens nequeat, cui papa vices suas pro receptione professionis fidei commisit. Unde duos quondam episcopos per procuratorem emisisse professionem fidei, refert ipsemet Sanchez, loc. cit., quamvis factum eorum improbare conetur.

## § IX.

## DE PŒNIS BENEFICIARIORUM OMITTENTIUM FACERE PROFESSIONEM DEBITAM FIDEI.

188. *Concilium Tridentinum obligat beneficiarios, ut supra, sub mortali ad faciendam professionem fidei.* — Queritur I. Quæ generatim pœnæ sint impositæ clericis beneficiariis, qui omittunt facere debitam professionem fidei? Resp. I. Decretum concilii Tridentini, n. 137. allegati, obligantis provisos de beneficiis curatis quibuscunque aut canonicatibus et cathedralibus, ad faciendam professionem fidei, obligat sub mortali. Ita Sanchez, lib. II. *in Decalogum*, cap. v. n. 1. Bonacina, disp. 3. *de Fide*, q. 2, punct. 3, num. 14. et 15. et alii; adeo, ut hoc tanquam certum tenendum esse asserat Castro Palao. tract. IV, disp. 1. *de Fide*, punct. 19, n. 2. Ratio est: quia præceptum illud est de re gravi, et ad gravissimum finem ordinata, qualis est exaltatio fidei catholicæ, hæresumque suppressio; simulque sub verbis obligatoriis, ut puta, *teneantur*, pœnisque gravissimis impositum.

189. *Tamen ratione ignorantie, inadvertentiae, vel oblivionis potest quis excusari a mortali.* — Intellige, nisi quis a mortali excusetur ratione ignorantie, inadvertentiae, seu oblivionis. Nam sicut in aliis materiis, ita et in proposito, potest inadvertentia, atque oblivio inculcata excusare a mortali culpa, utpote ad quam requiritur plena advertentia, et perfectus consensus. Exemplum hujus refert Navarrus Consil. 12. *de Jurejur.* de aliquo clerico, qui adeptus ecclesiam parochialem per ignorantiam, incogitantiam, vel inadvertentiam non fecit professionem fidei usque ad sesqui annum: in quo ratione sus-